

A. D.
DISQUISITIO SECUNDA.
DE DIFFERENTIA
EUANGELICARUM PRO-
MISSIONUM.

Continens illustrationem Or-
thodoxia, distinctum scilicet divinae
eiusq; Evangelicae voluntatis circa fidem & sa-
lutem hominum respectum in aliquot
Aphorismis.

AD SALUTAREM INFORMATIO-
nem & divinae veritatis confirmationem proposita
publicaq; ventilationi subjecta

A
JOHANNES BEHM, S.S. Theol. D.

Aulico Illustriss: Boruss: Ducum Con-
cionatore, & Academiae quae Regiomonti Borus-
sorum est Professore P.


RESPONDENTE

STEPHANO CIMDARSO, Schif-
fenburgensi Borusso.

Habebitur in Auditorio majori 18. Novemb:



REGIOMONTI, Typis Osterbergerianis, Anno 1622.



VOS
O viri,

*Quibus vita integritas ;
delicia, omnium virtutum civilium genus :
quos longa rerum experientia ducit fax lucidissima ;
quorum propria se exerit luce Sol prudentia,*

Vos (inquam) VIROS
cūm

Candido fama decore,
tūm

Splendido Patriæ nitore conspicuos,
DOMINOS

Braxatores, in Ducatu Electo-
rali Prussiaco Civitatis Kniphovianos,
Patruelem, Affines, Fautores, omnes & singulos
Promotores, multis mihi modis
colendos,

*Disputationis huius Theologicae dedicatione
ex Musarum favore honoratos, eamq̄ vobis in
divina, cui constanter annuitis, veritatis Sym-
bolum consecratam volui*

STEPHANUS CIMDARSUS
Respondens.



SECUNDUM TRACTATIONIS CAPUT

Continens epistologiam

DE DIFFERENTIA EVANGELICARUM PROMISSIONUM.

CONTINUATIO

I.



Abuimus in præcedente Disputatione

I. Calvinianorum de differentia Evangelicarum promissionum sententiam.

II. Tres Crocii conclusiones de causâ denegationis Fidei produximus, easq̄ breviter resolvimus.

III. Adversariorum argumenta ex Crocio bonâ fide proposuimus, quibus probare conantur DEUM non omnes unâ eâdemq̄ intentione per verbum vocare, nec omnibus & singulis per oblatum & prædicatum verbum fidem & salutis media conferre velle, neq̄ id promississe.

Ex ordinis ergo convenientiâ, & necessitate ipsa *epistologiam* per verum controversiæ statum nudè ponenda, posita Theologicè per illustrationem & confirmationem tractanda & confirmanda erit.

II.

Antequam verò ipsum controversiæ statum formemus, triplex primum adversariorum Sophistica notanda venit.

PRIMO quærunt, & toties à nobis flagitant Adversarii Calviniani, *ubi nam DEUS in verbo disertè & ad litteram promiserit, se omnibus & singulis hominibus, quibus Verbum & media salutis offert, fidem actualiter & efficaciter donare & conferre velle?*

A 2

In

III.

In hoc postulato I. Temerariam produunt impudentiam. DEum in Verbo loquentem, in Verbo reformare volunt, mali Reformatores, aucupantes literarum apices, orthodoxum interea Euangelici verbi sensum tūna negligentes, tum per rationis *κωβείαν ἐν πανουργία πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς ἀλώσεως* Eph: 4. v. 14. pervertentes. Scilicet hac in parte DEO Legem præscribere vult humana temeritas, quomodo, quibusve verborum apicibus, Syllabis & dictionibus suam mentem exprimere debeat.

IV.

Similem planè temeritatem in Adversariis Calvinianis habemus circa negotium Dominici Testamenti. Flagitarunt olim à B. Luthero ubinam in *ῥητῶ* Christus promiserit, se mediantibus externis elementis, per verba Dominicæ Institutionis consecratis, Substantiam sui corporis & sanguinis ore corporeo sumendam omnibus & singulis communicantibus distribuere velle? Ad hanc flagitationem Lutherus ita respondet Tomo 4. Jhenensi p. 379. fac. 2. contra Carlitadium: *Ihr begehret / daß ich öffentliche Schrifte herfür bringe / die da sage: Christus hat seinen Leib genommen vnd gegeben/wie ihr beweiset habet/daß Christus das Brodt genommen vnd gegeben. Recht/wen ihr darauff wolt dringen / daß ihr nicht gläuben wollet/ich bringe denn die Syllaben vnd Buchstaben (Christus nam seinen Leib / brach vnd gab seinen Jüngern) herfür/so habt gewonnen/vnd folget ewrem Kopff. Ich kan solche Syllaben nicht herfür bringen.* Hæc Lutheri verba per Sophisticam *Ἀειρεσιον* pasquillifex & infamis ille Montanus in 5. paradoxo pag: 88. solitariè producens, subinfert, Lutherum *ῥητῶν* dare perditum, puerilem partim inscitiam, partim sophisticam prodens. Inscitiam virgis dignam, dum *ῥητῶν* de materiali tantūm apicum, Syllabarum

rum



rum, dictionum sono intelligit, excluso formali, id est proprio & nativo verborum sensu. Sophisticam, dum reliqua Lutheri verba immediatè cum prioribus cohærentia, quæque priora limitant & declarant, non Theologicâ fide, sed sophisticâ fraude, pro more sibi proprio omittit. Sic autem B. Lutherus in producto loco immediatè pergit: Aber doch sehet zugleich mit / wenn ich solchen Text (Christus nam seinen Leib / vnd brach vnd gab seinen Jüngern) könte herfür bringen / was were es dan von nöthen / daß er nennet vnd spreche: Das ist mein Leib? Oder begehret ihr daß er ein unnützer Wäscher werde / daß er allein rede mit denen Worten / wie ihr ihm fürschreibet / lieber / denn daß ihr gläubet den Worten / die Er euch fürgestellet hat. Wir wissen / daß in diesen Worten: Nehmet / esset / ein gegenwertiges geben / mit dem Geberde angezeigt wird / daß niemand leugnen kan / also / daß jemand diese Wort glossiren wolte / möchte auff das Wort Nehmen / also schreiben: Siehe da geschicht ein gegenwertiges geben. Wenn man nun solches gegenwertiges Geben / vnter dem wörtlein / Nehmet / hat / so zwinget die Meynung so ohn alle mittel vnd verenderung der Personen drauff folget / nemlich / Das ist mein Leib / damit er das Brodt nennet / daß wahrhaftig der Leib Christi gegeben werde. Denn es ist wieder alle Vernunft / daß ein anders solt verstanden werden / denn dasjenige / so von dem / der es gibt / genennet wird / sonderlich in der Sach vnd Zeit / darin ers gibt vñ nennet. Ex his verbis meridiano Sole clarius elucescit, Lutherum τὸ πρῶτον Verborum Dominicæ Cœnæ adversus inferorum portas, & omnem Calvinianam calumniam fortiter & tenuisse & urfisse.

Qui hac de re plura cupit, legat nostram virgarum Montani Resolutionem.



Eodem quoque modo Erasmus cum Luthero disputans literarum apices, & materiale verborum flagitabat, in quibus reperiretur scriptum: *partem principalem vel prestantissimum in homine carnem esse, id est, impium & inimicum DEO.*

Ad hoc elumbe postulatum B. Lutherus ita respondet, in suo de seruo Arbitrio Libro cap. 133: *Fortē expectas (Erasmē) locum ē Scripturis producendum, qui istis literis & syllabis constet: pars principalis in homine est caro, alioquin invictus victor futurus, tanquam si Iudei postulent, ut ex Prophetis proferatur sermo, qui his literis constet: IESVS Fabri filius ex Maria virgine in Bethlehem natus est Messias & Filius DEI. Hic, ubi aperiā SENTENTIA cogēris, literas & syllabas nobis prescribis, quas proferamus: alibi ubi & literis & syllabis vincēris, tropos, modos & interpretationes habes. Nusquam non invenis, quod contradicas scripturis divinis. Nec mirum, qui nihil aliud agis, quam ut queras, quod contradicas, &c. Post pauca: quantas victorias Ariani jaētabant, quod syllaba ista & litera (ὁμοῶς) non haberentur in Scripturis, nihil morati, quod alius verbis idem efficacissimē probaretur. Sed an hoc sit boni, non dicam pii animi, erudiri cupientes, iudicet vel ipsa impietas & iniquitas. Habe igitur victoriam, nos victi confitemur, hos characteres & syllabas (prestantissimum in homine nihil nisi caro est) in Sacris non inveniri. Tu autem vide, qualis sit victoria tua, cum nos probemus, in Scripturis locupletissimē inveniri, quod non una portio, vel prestantissimum, aut principalis pars hominis sit caro, sed totum hominem esse carnem. Nec id solum, sed totum populum esse carnem, atq; ne hoc quidem satis, sed totum genus humanum esse carnem: Christus enim dixit; Quod natum est ex carne, caro est. Joh. 3. v. 6. Hæc Lutherus contra Erasmus. Ubi obiter notandum est glossēma Jacobi Kimedontii Professoris quondam Heidelbergensis, qui ad hæc*

hæc Lutheri verba hæc addit: *multa creditu necessaria, tamen si non totidem literis & syllabis in Scriptura exprimantur.* Hunc sui Confratris Aphorismum hodiernis Reformatis in sophistico potulate circa præsentem materiem merito objicimus.

VI.

Secundò iniqui sunt Adversarii Reformati, dum actualis semper & efficacis donationis & collationis fidei mentionem faciunt, per Sophisticum *ἐπιροζήτησεως* Elenchum confundentes Divinum, eumq; efficacem collationis *affectum cum effectu*, vel divinam, donationis & collationis fidei *promittitudinem & propensionem* cum actuali fidei donatione & collatione. Nemo namq; nostrum unquam statuit, dixit, scripsit, DEum omnibus & singulis hominibus ipso actu & effectu per auditum verbi fidem conferre. Cum lemuribus ergo pugnant, & verum controversiæ statum infidiosè & malitiosè occultant.

VII.

Tertiò iniquior est Crocius parte 2. Prutenicæ conversationis cap. 9. pag: 399. scribens: *DEVS nunquam promissit absolutam promissi impletionem.* Verum quis nostrum unquam dixit vel scripsit: Divinam de fidei datione & collatione *promissionem, quoad impletionem absolutam esse.* Næ oportet Crocium in fingendo extremè esse impudentem.

IX.

His præmissis genuinum controversiæ statum hoc modo formamus: *Num DEus omnibus & singulis hominibus media eterna salutis offerens, eadem offerat voluntate, vel voluntario animo & affectu, vel voluntariâ propensione ad dandum vel conferendum ea quæ offert? Et: Num DEus hanc misericordem voluntatem in Evangelii Verbo manifestavit, & per manifestationem nobis promiserit? Nos affirmativam tuemur, adversarii negativam.*

Hoc

IX.

Hoc Controversiæ statu posito & probato, statim posita & probata est *differentia Evangelicarum Promissionum*, quàm in præsentè tractatione unice intendimus.

X.

In Theologicâ verò controversi statûs tractatione ad duo respiciendum 1. *ad ejusdem illustrationem*, 2. *Confirmationem*.

XI.

Controversi status illustratio.

Positum controversiæ statum illustrare possumus ex distinctione Evangelicæ DEI voluntatis circa fidem, conversionem, & salutem hominum. Ex hac enim voluntatis distinctione, differentia Evangelicarum promissionum per modum confirmationis elicietur.

XII.

Divinæ vero voluntatis distinctionem aliquot Aphorismis docendi gratia includemus.

PRIMUS APHORISMUS.

Consideramus hoc in loco DEI voluntatem non absolutè in se, sed ad certum objectum, hominem, eumq; universaliter sub totius complexu, idq; ratione æternæ salutis & vitæ.

Aphorismi Analysis.

1. DEO voluntas tribuitur non tam *analogicè*, quàm *supereminenter*. Ut enim DEI essentia est *ὑπερβολικῶς*, ita & ejusdem voluntas, omnia prædicamenta, ipsosq; Philosophiæ cancellos eminentissimè transcendens.

2. DEI voluntas consideratur vel *ἀπλῶς* & absolutè in se, vel *ἑξελκῶς*, sive relatè, ratione objecti, circa quod.

3. *Absolutè in se* considerata convenit cum divinâ Essentia, propter absolutissimam divinæ essentiæ simplicitatem

tatem. DEO namq; non est aliud velle, & aliud esse, sed omnino idem. & non nisi τῆ δυνάμει distinguntur. Hanc essentialem DEI voluntatem Lombard: lib. I. distinc: 45. nominat *voluntatem beneplaciti*. Minus commodè. Lutherus nominat *subjectum Divinitatis, nudam Divinitatem, Voluntatem substantialem & aternam* in cap. 6. Genes: ad versum 5. & in cap. 16. ad versum 9. Item *Voluntatem Majestatis*, in libello de servo arbitrio cap: 108. à cujus consideratione removendi sunt hominum animi, ipso B. Luthero monitore in cap. 6. & 26. Gen: & in prænominato libello passim.

4. Relata divinæ Voluntatis consideratio partim respicit ipsam voluntatis per Verbum patefactionem, vel ipsum objectum. Verbum vel est *Legis*, vel *Euangelii*. Hinc distinguitur DEI voluntas in *legalem & Evangelicam*. De legali DEI voluntate loquitur Apostolus I. Thes: 4. v. 3. *Hæc est voluntas DEI, vestra sanctificatio, ut abstinatis à scortatione &c.* Summa hujus voluntatis consistit in perfectâ dilectione DEI & proximi, Levitici 19. v. 13. Deut: 6. v. 5. Matth: 22. v. 37. & 39. Luc: 10. v. 27. De Evangelica inquit Servator Joh: 6. v. 40. *Hæc est Voluntas eius, qui misit me, ut, quisquis videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aternam, & ego suscitabo eum in novissimo die.* De utraq; conjunctim idem Sospitator Matth: 7. v. 21: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, introibit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.*

5. *Objectum* verò, circa quod divina Voluntas versatur, vel est *generalissimum*, suo ambitu complectens omnia, quæ cælo, terraq; continentur; vel *speciale* ratione hujus vel illius objecti.

6. In præsentiarum divinam Voluntatem consideramus 1. Relatè 2. ad certum objectum hominem 3. communiter & universaliter consideratum 4. Quatenus per lapsum corruptum, & ita in communi miseriâ constitutum, 5. ra-

B

tione

atione æternæ salutis & vitæ in hominem per lapsum corruptum introducendæ. 6. Et consequenter voluntatem in Euangelio manifestatam.

APHORISMUS II.

Euangelica DEI voluntas de hominum salute, tametsi in se una sit; ratione tamen objecti diversimodè se habentis distinctè in Scripturâ nobis proponitur.

Aphorismi Analysis.

Aphorismi veritatem his demonstramus Syllogismis:

Prior: Quicumq; unum eundemq; hominem distinctis respectibus vult salvari & damnari, is distinctam habet voluntatem.

At DEUS unum eundemq; hominem distinctis respectibus vult salvari & damnari. Ergo.

Propositionis consecutionem nemo sanus negaturus est. Assumptum hoc prosyllogismo firmatur: *Quicumq; profitemur, 1. Se velle omnium & singulorum hominum salutem. 2. Nolle mortem peccatoris æternam in peccatis morientis. 3. Nihilominus expresse testatur, se aliquorum damnationem velle, illorum etiam, quos ante salvos volebat. 4. Et ita salutem partim ad omnes & singulos homines extendit, partim ad certos restringit, is distinctum Voluntatis respectum habet.*

DEVS in Verbo loquens de suâ voluntate omnia hæc profitemur. E.

Consecutio in Majore per se evidens est & manifesta.

Assumptum ordine probamus.

Quoad primum membrum. DEUS profitemur, se velle omnium & singulorum hominum salutem. Rom: II. v. 32. *Conclusit DEUS omnes sub peccatum, ut omnium misereatur, I. Tim: 2. v. 4. DEUS vult omnes homines salvos fieri, &c. 2. Petri 3. v. 9. DEUS non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converteri.* Hæc dicta universaliter de omnibus & singulis hominibus intelligenda probant 1. Verborum evidentia, 2. eorundem

dem cohærentia ratione antecedentium & consequentium.
3. Verborum scopus & intentio. 4. Adversariorum Calvi-
nianorum nonnulli, reliquis hâc in parte sociis planè con-
trarii. Id quod in octavi Aphorismi resolutione & tracta-
tione fusiùs demonstrabitur.

Quoad *Secundum*. Confirmat, & juramento confirmat
DEUS, se nolle mortem morientis Ezech. 33. v. II. *Vivo ego,
dicit Dominus Iehova, nolo mortem impii (vel ut cap. IS. v. 32.
habetur, morientis) sed ut convertatur & vivat.* Calvini &
Calvinianorum distinctionem quod attinet, distingventium
voluntatem DEI in approbativam & Decretivam, eam ut
Sophisticam infra proffigaturi sumus.

Quoad *Tertium*. Nihilominus expressè testatur, se ali-
quorum damnationem velle, illorum etiam, quos salvos
volebat. *Ridet enim in interitu impiorum, ad quos gratia sua
manum extenderat, Prov: I. v. 25. & 26. Vult desolationem In-
daorum, quos volebat congregatos instar galline, pullos sub alas
colligentis, Match: 23. x. 37. & 38. graviori damnationi eos volun-
tariè adjudicat, quos prius suâ gratiâ dignatus erat. 2. Pet: 2. v. 20.*

Ad *Quattum membrum*. Salutem partim ad omnes &
singulos homines extendit, in Apostolico loco I. Tim: 2. v. 4.
jam producto: Alibi idem Apostolus eandem salutem ad
credentes restringit I. Cor: I. v. 21. distincto circa unum idem-
què verbum utens locutionis modo. In priori loco habet
σωτηρίας (simili planè locutionis genere Petrus utitur 2. Pet:
3. v. 9. *πάντας εἰς μετένοιας χρωρήσεται*) & Servator noster Joh. 3. 17.
ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ὅτι σωθῆναι τὸν κόσμον
ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ὅτι σωθῆναι τὸν κόσμον
ut servetur mundus per eum. In posteriore *σωσάτω* pla-
cuit DEO per stultam predicationem salvos facere credentes.

Posterior Syllogismus ita habet: sine quo 1. DEI veritas
nullo modo salvari potest, 2. nec ritè explicari, quid DEUS circa
hominum salvationem & damnationem velit, id ut necessarium
omninò retinendum est. Sinè distincta voluntatis divine conside-
ratione neutrum fieri potest. Ergo ut necessaria omninò retinenda

B 2

est.



est. Major sua luce radiat. Assumptum ex jam productis e-
ducitur: *Quodcumq; veritatem proponit, illo labefactato & hanc
labefactari necesse est. DEI Verbum veritatem proponit. Ergo.
Labefactatâ namq; distinctione divinæ voluntatis, labefacta-
tur DEI Verbum, quod illam distinctionem expressè habet.
Labefactato verò Verbo DEI, veritas labefactatur: Ver-
bum enim DEI est divina Veritas 2. Sam: 7. v. 25. item Ps: 119.
v. 43, 56, 142. Joh: 17. v. 17. Labefactato DEI verbo & verita-
te, ritè explicari nequit, quid DEUS circa hominum salutem
& condemnationem velit; ἄτοπον.*

APHORISMUS III.

*Distinctus hic divina voluntatis respectus convenientius ex-
plicari non potest, quam si unus nominetur Antecedens; alter Con-
sequens respectus, vel voluntas.*

Aphorismi Analysis.

I. Desudarunt olim Theologi in distincto hoc volunta-
tis respectu rectè explicando, ideo variis appellationibus
excogitatis, eundem descripserunt. Unum respectum ap-
pellarunt *absolutum*, alium *relatum & respectivum*. Alii prio-
rem considerationem nominarunt *universalem*, posteriorem
particularem. Sanè, si objecti diversitatem consideramus,
orthodoxæ sunt appellationes, verum ipsum naturæ ordi-
nem circa distinctos hosce respectus non explicant.

II. Calviniani, qui se reformatos vocant, hosce distin-
ctos respectus hisce distinguunt appellationibus: *Priorem*
vocant *voluntatem mandati, vel preceptionis, externa predica-
tionis, oblationis, approbationis, signi, obligationis; Posterio-
rem voluntatem beneplaciti, decreti, efficacia vel effectio-
nis*. Quantum vero sophisticæ fraudis & impietatis huic insit distin-
ctioni, patebit infra in sequentiũ Aphorismorũ tractatione.

III. Nullæ ergò convenientiores appellationes dari
possunt, quàm si distincti illi respectus vocibus *Antecedens*



rius & Consequentis voluntatis exprimantur. Rationes hæ sunt:

Prima, ab objecti distinctione: Quicquid circa objectum versatur, quod antecedentem & consequentem respectum obtinet, idem merito antecedentis & consequentis nomine venit. Divina voluntas versatur circa tale objectum, quod antecedentem & consequentem respectum obtinet. Ergo merito antecedentis & consequentis nomine venit.

Propositio congenitam habet consequentiam. Nam à diversitate objecti ad diversitatem ejus, quod circa objectum illud occupatum est, firma datur collectio.

Assumptum hoc modo probatur: Duplex est hominum circa præsentis doctrinæ caput consideratio, prior generalis, posterior specialis. Ille respectus hominem considerat ut peccatorem, idque communiter & universaliter, ratione omnium & singulorum hominum. In quo respectu nulla inter homines est *διαστολή* Rom: 3. v. 22. Hic, homines peccatores tractat, cum mutua *ἀνεξίτητος*, quatenus finaliter vel credentes, vel incredulos. Hinc inferimus:

Quodcumque objectum generalem & specialem considerationem habet, illud Antecedentis & Consequentis respectum sortitur.

Homo in præsentis materie generalem & specialem habet considerationem,

Ergo Antecedentem & Consequentem respectum sortitur.

Major patet: Generalis enim consideratio semper prior est, specialis posterior. Genus enim ordine natura prius est sua specie.

Secunda à Scripturæ testificatione. Denominatio que fundamentum in Scriptura habet, ea pro legitima merito censenda & assumenda est. Antecedentis & Consequentis DEI Voluntatis denominatio fundamentum habet in Scripturis. Ergo.

Propositio manifestam habet evidentiam, Assumptum ex Scripturâ tripliciter firmatur:

I. Ex distincto locutionis modo: Fieri prius est quàm facere. Il-



1. Iud enim antecedit, hoc sequitur, & potentia prior est suo actu. Prior divinæ voluntatis respectus versatur circa *non fieri*, quid DEUS de hominibus peccatoribus gratiose fieri velit I. Tim: 2. v. 4, 2. Petr. 3. v. 9. Joh: 3, 17. Posterior *non facere*, quid de credentibus & incredulis *faciat* I. Cor: 1. v. 21. Joh: 3. v. 18, Marc: 16. v. 16. Prior ergo divinæ voluntatis consideratio merito antecedens, posterior consequens vocatur.

2. *Ex parabolis.* Idem volunt Dominicæ parabolæ de magno DEI convivio & cœna Matth: 22. v. 1. & seq: Luc: 14. a versu 16, in quibus manifesta est 1. generalis DEI voluntas invitatoria, ad omnium, etiam *contumacium*, salutem se extendens, & omnem humanum conatum antecedens, 2. specialis, Invitatorum partim obsequium, partim illusiones & contemptum sequens.

3. *Ex Exemplis.* Idem firmant innumera in sacris Exempla eorum, quos DEUS præcedente voluntate, ante eorum conatum voluit salvos; ex consequente tamen & iudiciaria DEI voluntate propter actualem & discretorium contemptum (quo seipso indignos reddiderunt æternâ vitâ, Actor: 13. v. 46.) damnati sunt.

Tertia à similibus ex Oeconomîâ & Politîâ desumptis. 1. Paterfamilias vult omnibus suis liberis benè esse, & omnes paternam hæreditatem consequi. Hæc voluntas rectè Antecedens nominatur, cum omnes omnium liberorum actiones antecedit. Idem vult morigeris liberis per Decretorium Testamentum conferre hæreditatem; Immorigeros & filios Belial eadem excludere. Hæc voluntas priore posterior merito consequens vocatur, cum posterior sit liberorum actionibus. 2. Magistratus omnibus & singulis civibus vult benè esse, universali voluntate omnem actionem civium & subditorum antecedente. Idem vult & decernit bonis & obedientibus præmia; malis & inobedientibus omnis generis pœnas.

Quarta

Quarta, ab Ecclesia consensione. Senferunt nonnulli Ecclesiastici Patres hac in parte orthodoxi, differentiam dari divinæ voluntatis in Euangelio revelatæ circa salutem hominum; ideò præhabita gravi deliberatione prædictis terminis in differentia denominanda usi sunt. Sic enim *Chrysostomus* Sermone primo in Epistolam ad Ephesios: *Ἔστι τὸ θέλημα τὸ προηγούμενον, ἔστι γὰρ καὶ ἄλλο θέλημα; οἷον θέλημα πρῶτον τὸ μὴ ἀπολέσθαι ἡμαρτηκότας; θέλημα δεύτερον τὸ γενομένων κακῶν ἀπολέσθαι.* Id est. *Voluntas DEI antecedens.* Est enim & alia *Voluntas.* *Prima voluntas talis est, ne pereant peccatores; Voluntas altera vult malos (actu scilicet & discretionem tales) punire & condemnare.* Idem ferè habet *Theophylactus* ex *Chrysostomo* in illum Apostoli locum. *Damasceus* libro 2. ὀρθοδοξίας cap. 29. de hac distinctâ DEI voluntate hunc in modum loquitur: *χρὴ δὲ εἰδέναι ὡς ὁ θεὸς προηγούμενος θέλει πάντας σωθῆναι καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν. ἔστι γὰρ ἵπτι τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τὸ μεταχεῖν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, ὡς ἀγαθός. ἡμαρτανότας δὲ θέλει κολάζεσθαι ὡς δίκαιος. λέγεται γὰρ τὸ μὲν πρῶτον προηγούμενον θέλημα καὶ εὐδοκία ἐξ αὐτοῦ ὅτι: τὸ δὲ δεύτερον ἐπόμενον θέλημα καὶ παραχώρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας.* Id est: *Oportet scire, quod DEVS antecedenter vult, omnes salvari, & regnum suum consequi. Non enim ad puniendum finxit nos, sed ut efficiamur participes bonitatis ipsius, ut bonus: peccantes verò vult puniri, ut iustus. Dicitur itaq; prima antecedens voluntas, & beneplacitum ex seipso existens. Altera verò consequens Voluntas & permissio vel concessio ex nostra causa existens.* Idem *Damasceus* hanc distinctionem repetit in *Dialogo de Manichæorum hæresi,* nobis pag: 563. *εἰ θέλων (θεὸς) κρίνει, ἀλλ' ἔστι κατὰ προηγούμενον θέλημα, ἀλλὰ κατὰ ἐπόμενον.* Id est: *Quamquam DEUS volens iudicat, Voluntate tamen non antecedente, sed consequente id facit.* Et verbis immediatè subsequentibus distinctos hosce divinæ Voluntatis respectus ita describit: *προηγούμενά ἐστι θέλημα, ὅπερ πρὸς αὐτὸν εἰ αὐτὸς θέλει; ἐπόμενον δὲ ὅπερ ἐκ τῆς τῶν γενομένων αἰτίας:*
Id

Id est: *Antecedens Voluntas est, quando quis à seipso aliquid vult; Consequens verò, quando aliquid vult ex causa eorum, quæ sunt.* Pergit idem Autor: *προηγμένως ἐξ ἑαυτῶν θέλει ὁ θεός πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἴπγνωσιν ἀληθείας εἰλθεῖν.* Id est: *Antecedenter ex se ipso vult DEUS, omnes homines servari, & ad agnitionem Veritatis venire: idem peccantes vult castigare vel punire.* Progreditur: *προηγμένον θέλημα τῷ θεῷ τῆς ἀγαθότητι ἐστὶ: τὸ δὲ ἐπίμενον τῆς δικαιοσύνης αὐτῶν:* Id est: *Antecedens DEI Voluntas est bonitatis, consequens iustitia.* Ubi notandum venit, Damascenum imperfectè consequentem DEI Voluntatem describere, & ratione tantùm divinæ Iustitiæ determinare, cum & gratiæ sit & misericordiæ. Homines enim respicit non modò finaliter incredulos & damnandos, verum & actu credentes & effectū salvandos, ut paulò ante ex ipso Paulo vidimus.

IV. Circa finem hujus Resolutionis observandum & D. Bergium in sua Disputatione, de DEI Essentiâ, & attributis essentialibus Thesi 55. consuetam hanc divinæ Voluntatis distinctionem producere, sed dispari sensu & scopo. Antecedentem enim Voluntatem ex Thoma, Bonaventura & Scoto sumit pro *conditionata velleitate, eamq; non diversitatem volendi in DEO, sed tantùm connotandi & intelligendi in nobis designare.* Propriè namq; in DEVM nullam talem Velleitatem aut conditionatam Voluntatem posse cadere, quæ ut in nobis ex eventu suspensa sit, & vel cum impotentia, vel saltem futuri incertitudine quadam conjuncta. Atque hoc est sophisticâ & fraudulentâ fide consuetam divinæ voluntatis distinctionem tractare, & eadem non tam uti, quàm abuti. In hâc enim parte non videndum, quomodo Thomas, Bonaventura, Scotus, & alii Scholastici antecedentem DEI Voluntatem descriperint, sed quomodo Chrysostomus, Theophylactus, Damascenus & alii. Quod autem D. Bergius opinatur, nullam conditionatam, vel potius ordinatam voluntatem in DEVM propriè cadere



cadere posse, quæ ex eventu non tam suspensa, quam determinata sit, id in sequentibus ut falsum refutabitur.

APHORISMUS IV.

Divina voluntatis in Antecedentem & Consequentem distinctio non est opposita, sed sibi invicem ἑωαλλήως subordinata, idq; modaliter.

Analysis.

I. Aliud est oppositio, aliud distinctio, specialiter & strictè sumpta (quanquam generaliter & laxè vox distinctionis oppositionem quandoq; includat) Oppositio vel duorum terminorum, vel duarum rerum mutuam disjunctionem notat; Distinctio distinctam unius ejusdemq; rei considerationem sine disjunctione & pugna.

II. Distinctio vulgò solet dividi in conceptus vel *rationis*, & *in rei*. Illam nominant Logici distinctionem, quæ non est in re, sed in nudo tantum concipiendi modo; alias nominatur distinctio *κατ' ἐπίνοιαν*, ἢ *τρόπον ὀπιλήψεως*. Hanc vocant separatas & distinctas à se invicem res, quarum altera nunquam potest dici altera.

III. Antecedens & consequens DEI Voluntas non distinguuntur I. *Mentaliter*, vel nudo tantum concipiendi modo, cum ~~hæc distinctio~~ extra nostræ mentis conceptum detur, 2. *Nec realiter* propriè distinguuntur. Non enim differunt 1. *Subjecto*, cum in uno eodemq; DEO considerentur, 2. *Nec sunt res diversæ secundum Essentiam distincte*, 3. *sibi mutuò subordinantur*, quod non est eorum, quæ realiter differunt, quæq; recipere possunt oppositionem & repugnantiam.

IV. Cum melioris ergò notæ Philosophis aliam hinc distinctionis speciem damus, modalem scil: & statuimus, hoc distinctionis modo Antecedentem & Consequentem DEI voluntatem esse distinguendam. Nam:

C

Inter



Inter qua est subordinatio, illa proprie distinguuntur modaliter.

Inter Voluntatem DEI antecedentem & consequentem est subordinatio. Ergo distinguuntur modaliter.

5. Assumptum hoc modo probamus:

Quacumq; distinguuntur 1. ut generale & speciale, 2. ut indeterminatum & determinatum, 3. ut independens & dependens, 4. ut prius & posterius, 5. ut fieri & facere, 6. ut actus primus & secundus, 7. ut affectus & effectus, 8. ut oblatio, & oblationis vel apprehensio vel rejectio, ea sibi mutuò subordinantur.

Antecedens & consequens DEI voluntas hoc modo distinguuntur. Ergo.

In legitima Propositionis consecutione provocamus ad subsellia sobriè philosophantium.

Assumptum per membra hoc modo probatur:

Quoad primum & secundum. Antecedens DEI voluntas generalis est, & indeterminata, sin objectum spectes. Est enim generaliter & indeterminatè directà erga omnes & singulos homines, nemine excepto, quatenus communiter in statu miserix & peccati considerantur, id quod infra in peculiari Aphorismo probabitur. Consequens DEI Voluntas est Specialis & determinata ratione actu tùm credentium, tùm incredulorum, idq; finaliter.

Quoad tertium. Antecedens DEI Voluntas non ab alio dependet, sed in solo DEI beneplacito fundatur, quod evidentiùs monstratur in sequente Aphorismo. Consequens DEI voluntas dependet vel ex fide, vel incredulitate hominum.

Quarti membri probatio ex prioribus fuit. Nam generale, indeterminatum, independens semper naturâ prius est speciali, determinato, & dependente, consentientibus omnibus Philosophis.

Quoad quintum. Antecedens DEI Voluntas est in fieri; Consequens

Consequens in *facere*. Hanc distinctionem ipse Paulus habet, uti probatum in præcedentium aphorismorum resolutione. Antecedens namq; Voluntas considerat beneficium DEI *affectum*, quid de hominibus, quâ peccatoribus saltuariter fieri velit. Consequens partim beneficium, partim iudicarium DEI *effectum*, quid de hominibus peccatoribus, quâ finaliter vel credentibus vel incredulis *facere* velit.

Quoad sextum. Antecedens DEI Voluntas se habet instar *actus primi*, qui est in fiendo. Consequens Voluntas instar *actus secundi*, qui est in efficiendo.

Quoad septimum. Antecedens DEI Voluntas completitur divinum desiderium, affectum, propensionem, qua ex gratuito misericordiae beneplacito omnes homines nemine excepto salvari cupit in Christo fide apprehendendo. Voluntas *consequens* comprehendit distincta DEI decreta, de salvandis credentibus & damnandis incredulis. Ergo se instar effectus habet.

Quoad octavum. Voluntas DEI Antecedens continet salutis media, hominibus tum offerenda, tum oblata, idq; animo & sine collatorio, quod infra in peculiari Aphorismo tractabitur. Consequens DEI Voluntas respicit ipsam mediorum salutis vel usurpationem vel neglectum & contemptum. In hac ergo consequente DEI Voluntate duo sunt distincta decreta. *Vnum est Evangelicum & misericordiae; Alterum Legale & Iustitiae.* Utriusq; summam Servator noster his includit Aphorismis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Marc: 16. v. 16. *Qui credit, non iudicabitur; Qui verò non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii DEI. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: Qui verò non credit Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum,* Joh: 3. v. 18. & 36.

APHORISMUS V.

*Antecedens DEI Voluntas ratione primæ originis & in-
terna causæ est independens & absoluta; ratione eventus & exe-
cutionis est dependens à τῶν & ita non tam conditionata, quam
ordinata vel modificata.*

Analysis.

I. Duobus hic Aphorismus membris constat, propter
duplicem Antecedentis DEI Voluntatis considerationem.
Consideratur enim 1. *in se, ratione primæ originis & causæ
ἀρχαίας: Quare DEUS ante jacta mundi fundamenta lapsum
& miseriam humani generis prævidens, ejusdem voluntariè mi-
sertus sit. 2. Ratione eventus & modi: Quo scilicet modo, & qua
ratione DEUS ex misericordia humanum genus salvum velit?*

II. Ad priorem quæstionem hæc datur responsio: Misericordem DEI Voluntatem tali respectu sumtam esse *inde-
pendentem & absolutam.* Nam:

*Quæcumq; Voluntas à nulla alia causâ interna & propriè dicta,
sed ex seipsa, fluit vel oritur, illa independens est & ab-
soluta.*

*Antecedens DEI voluntas à nulla aliâ causâ interna & pro-
priè dicta oritur.*

Ergo est independens & absoluta.

Propositionis consecutionem nemo sanus negaturus est.
Assumptum ipsa Scriptura probat. Ea namq; nullam a-
liam extra DEUM causam producit, propter quam humani
generis per lapsum corrupti miserus id salvum velit, quam
*independentem DEI dilectionem Joh: 3. v. 16. Sic DEUS dilexit
mundum &c. vel πολλὴν ἀγάπην Eph: 2. v. 4. quam εὐδοκίαν τῆς
θελήματι & αὐτῆς cap. I. v. 9.* Hæc dilectio, hoc beneplacitum,
ut primum, omnesq; alias causas antegrediens principium
DEUM internè movit ad voluntarium hunc commiseratio-
nis affectum.

Huma-

III. Humana quidem miseria suo modo DEUM ad misericordiam movit, verum hæc causa non est interna & αὐτεχῆς, sed tantum externa ἀφορμητικὴ eaq̄ minus principalis. Potuisset enim DEUS totum humanum genus in primâ creatione tot viribus & dotibus auctum in æternâ miseriâ justè reliquisse, eum per voluntariam transgressionem à DEO defecerit. Cujus rei manifestum in lapsu Diabolorum exemplum nobis conspiciendum exhibetur. Verùm, quod relictis in æternâ miseriâ Diabolis, DEUS humani generis in æterna miseria constituti misertus, ejus rei nulla extra DEUM alia est, præter nudum DEI beneplacitum, quo nos ex sese, & propter sese dilexit, sinè fide, & dilectione I. Joh: 4, 10. cum adhuc essemus peccatores, impii & inimici DEI, teste Paulo Rom: 5. v. 6, 8, 10. Hæc ergò misericors DEI voluntas omnem humanum conatum antecessit, fuit enim in DEO ἐξ ἑαυτοῦ καὶ ἀποθῆκεν ἡμῶν Eph: I. v. 4.

IV. Hanc independentiam prænominati Patres & præsertim Damascenus probè animadverterunt, propterea tali locutionis genere in describenda hac DEI voluntate usi sunt, quod illam non obscurè intendit. Dicunt enim illam DEI voluntatem ἐξ αὐτῆς καὶ ἀφ' ἑαυτῆς εἶναι ex, & à seipso esse. Idem senserunt orthodoxi Theologi nostrâ & nostrorum Patrum memoriâ, qui hanc antecedentem DEI voluntatem hoc respectu nominarunt absolutam, solam & per se, & promissiones exinde fluentes absolutas. Videatur D. Heshusius in tractatu de servo hominis Arbitrio cap: 7. & in Commentario in Epistolam ad Rom: fol. 308. & alii D. Heshusium in hoc locutionis modo sequentes.

V. Posterior quæstio, vel posterius quæstionis membrum hoc Syllogismo fit manifestum:

Quæcumq̄ voluntas in DEI Verbo 1. describitur ordinatè,
 2. Excluso vel spreto hoc ordine non vult DEUS hominibus salutem conferre. 3. Et taliter comparata est, ut ab hominibus actuali

malitia & contumacia ratione salutaris effectus rejici & impedi-
ri possit, ea ordinata est & modificata.

DEI Voluntas circa omnium & singulorum hominum salutem
talis est. Ergo.

Consecutionem in Propositione satis evidentem esse,
quis est, qui cum ratione negare possit?

Assumptum ordine probatur.

Quoad primum membrum. DEUS non vult mortem mor-
tientis, qui actu æternum perit, non tamen absolutè, sed or-
dinatè, per ordinarium conversionis medium, ut conver-
tatur & vivat. Ezech: 33. v. II. DEUS vult omnes salvos fieri,
non absolutè, sed ordinatè, per adventum sc: ad agnitionem
cœlestis Veritatis. I. Tim: 2. v. 4. DEUS non vult unum peri-
re, sed prævio ordine per salutarem pœnitentiam 2. Pet: 3. v.
9. Et ita semper & ubiq; huic Dei Voluntati ordo inclusus est.

Quoad secundum membrum: Qui non crediderit, con-
demnabitur Marc: 16. v. 16: Item: Qui non credit, jam judi-
catus est, super hunc manet ira DEI, Joh: 3. v. 18. & 36. Si aver-
terit se justus à justitiâ sua, & fecerit iniquitatem secundum
omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid
vivet? Ezech: 18. v. 24. Ecce relinquetur vobis domus ve-
stra deserta Matth: 23. v. 38. Hinc arguo:

Qui vult omnes salvari, vicissim ex his omnibus nonnullos
judicari & damnari, quia non credunt & in impietate finaliter
perseverant, eius circa salutem hominum Voluntas nullo modo ab-
soluta, sed ordinata est.

Antecedens DEI Voluntas talis est, ut patet ex productis Scri-
pturæ locis. Ergo.

Quoad tertium membrum: Rejecistis, & rejiciendo irri-
cum fecistis omne meum Consilium, inquit Dominus ad
contumaciter impios Prov: 1. v. 25. Pharisei contempserunt,
& per contemptum irritum fecerunt, salutare DEI consilium
Luc: 7. v. 30. Christus congregare vult Judæos, sed
quia

quia noluerunt, quin imò Christum diris modis persecuti sunt, hæc benigna Christi Voluntas irrita facta est, & Judæi non congregati, sed dissipati & desolati sunt Matt: 21. v. 17. Contumaces & præfracti Judæi *ἀπὸ πικρίας*, i. e. resistunt Spiritui sancto, vel gratiosæ Spiritus sancti operationi, quâ resistentiâ salutarem hanc operationem impediverunt Act: 7. v. 51. Hinc iterum arguo:

Absoluta DEI Voluntas non impeditur, nec fit irrita.

Antecedens DEI Voluntas de omnium & singulorum hominum salute sæpè impeditur & fit irrita.

Ergò non est absoluta.

VI. Accuratè verò observandum, ut tò ordinatum à conditionato accuratè distinguatur ad Calvinianorum vel Reformatorum Sophisticationes detegendas: Non enim unius ejusdemq; sunt significationis.

Inveniuntur sanè nonnulli orthodoxorum, qui Antecedentem DEI Voluntatem, & promissiones exinde fluentes nominarunt, & adhuc nominant *conditionatas*, voce *conditionis* *παχυλῶς* & liberius ἢ Absoluto oppositâ, hoc sensu: DEUM velle omnes homines salvos fieri non absolutè, & simpliciter, sed conditionatè, id est, *ordinatè*, UT penitentiam agant, & in Christum credant; Pari modo, Evangelicas promissiones ex hac DEI Voluntate fluentes, esse Universales, non absolutè, & modis omnibus indeterminatè, verum sub fidei conditione, UT credant; DEUM autem paratum & propensum esse, omnibus & singulis hominibus hanc fidei conditionem non modò offerre, verum & conferre. Videatur D. Gerhardus Tom: 3. de Evangelio, Thesi 43. Et hoc sensu nos in præteritâ cum D. Bergio Disputatione hoc promissionis genus concessimus esse *conditionatum*. Videatur & nostra Disputatio de distinctione divinæ Voluntatis in Antecedentem & Consequentem.

Calviniani verò hac ipsâ voce utuntur in sensu longè di-

gè diverso, quod illis ad simpliciorum deceptionem in Ne-
 gotio præsertim de Sacramento Baptismi & Dominicæ Cœ-
 næ perquam familiare est, nobiscum loqui, & diversum à
 nobis sentire. Verba namq; cum sæpiùs ut nummi valeant,
 humanis usibus diversimodè solent accommodari. Sic au-
 tem illi conditionis vocem sumunt: DEUS vult omnes ho-
 mines salvos fieri *conditionatè, Si credant.* Hinc illa Aretii
 verba suo in Pauli locum I. Tim: 2. v. 4. Commentario: *O-*
mnnes homines non solum de tota specie accipio, hoc est, ut ex omni-
bus nationibus aliquos velit salvari, sed de Individuis omnibus:
Vult enim omnes salvos fieri revera, sed conditione hac, ut pœni-
tentiam agant, & se convertant ad Christum Filium DEI: Sic
voluit salvari etiam Cainum, Pharäonem, Indam.

Sub hoc locutionis genere hoc latet ὕψιλον, impium
 planè, & in DEUM summè contumeliosum, quod tamen in
 Germanicis Confessionum libris, & in Homiliticis Concio-
 nibus egregiè, sed tamen fraudulenter & Sophisticè solent
 occultare, secundum illud Servatoris: πᾶς ὁ φάυλα πρᾶσων
 μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς Joh: 3. v. 19. Statuunt
 enim, DEUM ab æterno, ex mero & absoluto beneplacito
 κατ' εὐδοκίαν τῆς θελήματις decrevisse, non omnibus &
 singulis hominibus hanc conditionem præstare, omnibus
 quidem hanc conditionem præcipere, ut credant, omnibus
 eandem ad extra offerre, verum non omnibus offerre, ani-
 mo conferendi, sed tantùm Electis, idq; quia ab æterno sic ei
 placuit. Hinc illa Calvinianorum effata: *Conditio nihil po-*
nit inesse. Conditionata DEI Voluntas nulla est, Falsum est, DE-
um voluntate SIGNI (multò minus beneplaciti) velle, ut o-
mnnes ad Christum veniant, & convertantur. Hoc execrandum
 iniquitatis Mysterium sub voce conditionis, prout à Calvi-
 nianis sumitur, latet occultum. Unde & hoc consequitur
 Adversariorum παραδόξον: Actualem fidei & salutis, quoad
 Electos, collationem à Voluntate beneplaciti, vel à volun-
 tate

tate DEI absolutâ dependere; huc trahentes Apostolica ver-
ba: *DEus, cuius vult, miseretur, quem vult, indurat. Voluntati
ejus quis resistet?* Rom: 9. v. 18, 19. Hâc de re Amandus Pola-
nus in Syntagmate Theologico lib. 2. cap. 19. nobis colum:
441, 442, nomine reliquorum ita differit: *Voluntas DEI ab-
soluta est, qua quaedam vult simpliciter & absolute, citra ullam
conditionem, quæ sit, aut futura fuerit in creaturis. Hâc præde-
stinavit ad vitam, vel ad mortem, quos voluit. Hâc vult electos
salvos fieri, idcirco etiam dat illis media, quæcumq; sunt ad salutem
necessaria, ut & serventur necessario. Hâc vult reproborum mor-
tem, ad quam eos destinavit. Post pauca: Absolutâ voluntate
vult DEVS servari solos Electos ad vitam æternam: conditio-
nali voluntate vult omnes, etiam reprobos, servari, nempe si fa-
ciant omnia, quæ Lege suâ mandat, aut si credant in IESVM
CHRISTVM.*

Ut ergo nos & animo & linguâ à Calvinianis hac in
parte separemus, omnium tutissimum est, Antecedentem
illam DEI Voluntatem, & promissiones cum hac Volunta-
te convenientes non CONDITIONATAS, sed ORDINATAS
appellare. DEum velle omnes homines salvos fieri hoc or-
dine, ut CREDANT, vel ut Paulus; *UT ad agnitionem veri-
tatis perveniant* I. Tim: 2. v. 4. vel, ut Petrus; *UT penitentiam
agant* 2. Petr. 3. v. 9. Vel ut DEus: *UT convertantur & vivant,*
Ezech: 33, v. 11.

APHORISMUS VI.

*Voluntas DEI antecedens, uti conjuncta est cum dilectionis
misericordia, & ardentis desiderii affectu, ita simul includit DEI
beneplacitum, consilium, propositum, decretum.*

Aphorismi Analysis.

Distinctos hic Aphorismus divinæ Voluntatis actus com-
plectitur, qui ordine ex Scriptura sunt probandi.

D

1. Ra-

I. *Ratione dilectionis Joh: 3. v. 16. Sic DEVS dilexit mundum, &c. Rom 5. v. 8. Commendat DEUS suam erga nos charitatem, eo, quod, dum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est Ephes. 2. v. 4. DEUS per multam charitatem suam, qua dilexit nos, unâ cum Christo vivificavit, I. Joh: 4. v. 9. Per hoc manifesta facta est charitas DEI, &c. & vers: seq: In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus DEVM, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris, imò pro totius mundi peccatis, I. Joh: 2. v. 2.*

II. *Ratione Misericordiae & ardentis affectus. Magnificum hujus miserationis & intimi affectus argumentum opus est missionis Filii in nostram carnem: opus ipsâ cœli terræq; creatione majus & sublimius. Nam:*

Quicumq; alterum in aternâ miseriâ constitutum diligit, unigeniti Filii sui in mortem ignominiosam traditione, is intimo miserationis affectu diligit.

DEUS omnes homines in aternâ miseriâ constitutos dilexit, unigeniti Filii sui in mortem ignominiosam traditione.

Ergo DEUS intimo miserationis affectu diligit.

Propositio nostris cordibus inscripta est, vi Legis naturæ,

Assumptum ipsum opus missionis Filii DEI firmat. Et Scriptura passim hunc intimum divinæ misericordiae affectum, partim dilectionis voce involvit, partim aliis verbis emphaticè inculcat. Joh: 3. v. 16: ἔτις SIC, i. e. tanto misericordiae affectu DEUS dilexit mundum, i. e. omnes & singulos homines æternùm perditos. Ephes: 2. v. 4. DEVS, qui dives est in misericordiâ, dilexit nos, &c. Et Zacharias Johannis Baptistiæ parens, divino Spiritu afflatus & repletus hoc admirandum, stupendum & tremendum divinæ dilectionis opus describit per τὴ ἀπλαγχα τῆ ἐλέης Θεῶ Luca I. v. 78. Locutio maximè emphatica & pathetica, quanquam per συγκατάβασις proposita, quâ externa simulatio penitūs & potentissimè profligatur. Huc referenda sunt & alia Scriptu-



ra loca, quibus DEUS in temporalibus benignum suum di-
vine miserationis affectum *αι θρωπινως* sed tamen *παρηλικως*
describit Jerem: 13. v. 17. *Si hoc non audieritis, in abscondito plo-
rabit anima mea à facie superbia: plorans plorabit, & deducet
oculus meus lachrymam, quia captus est grex Domini, c. 31. v. 20.
Conturbata sunt *ιδη* (VOX *εμφαλικωτατη*) viscera mea super E-
phraim, miserendo miserebor ejus, dicit Dominus.*

Quis hominum sine affectu vel legere, vel considerare
potest ardentissimum illud Jesu Christi *παθος*, quod largâ
lachrymarum effusione contestatus est, cum in animum sibi
revocaret futurum Hierosolymæ exterminium Luc: 19. v.
41: Quod si DEUS temporalem hominum salutem tantâ cum
voluntate, tantâ cum gratiâ & misericordiâ, tanto cum de-
siderii affectu, tantis cum Lachrymis expetit, quantiò ma-
gis æternam?

III. *Ratione divini beneplaciti.* Hanc DEI *ευδοκίαν* se-
quentia Scripturæ loca roborant:

I. Ephes I. v. 9. *DEVS notum fecit nobis mysterium Volun-
tatis sue, κατὰ τὴν ευδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, secundum be-
neplacitum, quod proposuit in seipso, in dispensationem plenitudi-
nis temporum, ut in Christo, tanquam in capite, restauraret o-
mnia, tam quæ in cælis, quàm quæ in terrâ sunt.* Quo in loco
Apostolus expressè æternæ salutis totius humani generis
mysterium divinæ *ευδοκίας*, quin imò & *προθέσεως* acceptum
fert. Tractat quidem Apostolus & de gratuito divinæ Ele-
ctionis actu ab æterno facto, verùm non solitariè. Spiritua-
lia namq; & cœlestia beneficia, id est, totum nostræ salutis
mysterium pertractat, unâ cum causis ejus, & effectis ut &
æterni illius mysterii patefactionem, per Evangelii præco-
nium factam.

Voces ergò *βελήμενος*, *ευδοκίας*, *βελήης*, *προθέσεως* Paulus
applicat non modò speciali Electionis, verùm & generali
vel Universalis Redemptionis actu, distincto tamen respe-

Qu: Ita Christum considerat, non modò ut fundamentum E-
lectionis credentium ad æternam vitam, verùm & ut funda-
mentũ Redemptionis totius humani generis. Id n. important
1. Voces *διόλυτρώσεως ἢ ἀνικεφαλαιώσεως* v. 7, 10. quæ proprie
ipsum Universalis Redemptionis actum notant. 2. Univer-
salis particula *τὰ πάντα*, quæ solis tantùm fidelibus applica-
ri hoc in loco nullo modo potest. Christus enim non mo-
dò Electis *διόλυτρώσεως ἢ ἀνικεφαλαιώσεως* beneficium pro-
meritus est, verùm & toti mundo. *DEVS enim erat in Chri-
sto, mundum reconcilians sibi* 2. Cor: 5. v. 19. Hypotheses præ-
terea vel fontes gratuitæ Electionis ex DEI parte taliter
sunt comparati, ut secundum Spiritus S. in Scripturâ du-
ctum longè latiores sint ipso Electionis actu, quin imò ad
universum humanum genus extendendæ: Solet enim fons
latior esse eò, quod ex fonte fluit, & fundamentum aliàs la-
tius eò, quod fundamento superstruitur.

2. Coloss; 1. v. 19. & 20. *Placuit DEO in Christo omnem ple-
nitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipso pa-
cificans per sanguinem crucis ejus, sive, quæ in terris, sive quæ in
cælis sunt.* Quibus in verbis Apostolus universale Reconcili-
ationis opus per Christum præstitum, iterum sub divinam
ἰουδοκίαν revocat.

3. Idem probant Dilectionis & Misericordiæ voces:
*Quicumq; cum dilectionis & misericordiæ affectu quid dili-
git, ille hoc facit cum interno cordis beneplacito.* Hæc enim à se
invicem minimè sunt divellenda.

*DEVS cum dilectionis & misericordiæ affectu diligit mun-
dum, id est, omnes & singulos homines in mundo, ut pro-
batum ex Joh: 3, 16.*

Ergo cum interno cordis beneplacito diligit.

4. Hinc DEI *Voluntas Evangelica*, proprie est, & nomi-
nari debet *Voluntas beneplaciti.* Qua de re B. Lutherus suo in
Genesin Commentario ad c. 6. v. 5. ita scribit: *Patres impro-
pri*

præ Voluntatem DEI Substantialem & eternam vocant Volun-
tatem beneplaciti. Nam voluntas beneplaciti debet ea vocari,
quam ostendit Euangelium de qua Paulus Rom: 12. v. 2. ut probe-
ris, quæ sit Voluntas DEI bona & placens. Et Christus Ioh. 6. v.
40. Hæc est Voluntas DEI, ut, qui videt filium, habeat vitam æ-
ternam. Item: Frater meus est, qui fecerit Voluntatem Patris mei
Matth: 12. 50. Hæc Voluntas gratia verè & proprie vocatur Vo-
luntas beneplaciti. Videantur ibidem & reliqua.

IV. Ratione divini Consilii. Hanc DEI βεβλήω ratione an-
tecedentis Voluntatis probamus seqq: Scripturæ locis:

I. Prov: 1. v. 22. & seqq inquit Dominus ad Impios & præ-
fractè contumaces: Convertimini ad correptionem meam: ex
proferam vobis Spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.
Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit,
qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes
meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo. Perelegans
sanè locus, qui partim sollicitam & gratiosam DEI curam
erga impios & contumaces emphaticè nobis proponit, par-
tim impiorum contemptum. Hæc autem sollicita & gratiosa
DEI cura, tam quæ verbo, quàm quæ factò fit, cura est con-
versionis & æternæ salutis impiorum. Hanc curam DEUS
ipse vocat suum CONSILIUM. Quo nil aliud indigitatur,
nisi Consilium salvationis Impiorum. In Hebræo est vox
יָצַו אֶת רָעִי consilium inivit, consilium dedit, consuluit, Hinc
nomen יָצַו Consilium, notans humanæ mentis operatio-
nem, in deliberatione & consilio consistentem. Ita & DEUS
circa Impiorum conversionem & salutem salutare habet
consilium. Hoc autem impii præfractâ suâ contumaciâ er-
ga se faciunt irritum vel despiciunt. In Hebræo est vox
יָצַו אֶת רָעִי אֶת הַרָעִי abitraxit, abjecit; rejecit, abjiciendo irritum
fecit. Septuaginta: ἀκύρως ἔποιετέ ἐμὰς βεβλάς: Irrita fecistis
mea consilia. Ita Græci λόγους ἀκύρως vocant irritos, cum effe-
ctus ex interveniente impedimento non subsequitur. Chal-

D ;

dzus :



deus: שניחון *commutasti omne consilium meum à פגש* *muta-*
vis, vertis, alteravit. Est enim gratiosum hoc DEI consilium
de impiorum conversione & salute non *absolutum*. (de quo
Esa:14.v.27. *Iehovah Zebaoth inivit consilium, & quis irritum*
faciat?) sed *ordinatum & respectivum*, quod *εκυρον* vel *irritum*
sæpè fieri potest hominum malitiâ & contumaciâ: Uti de
Judæis circumcidi nolentibus testatur DEUS, *quod irritum*
faciant fœdus suum. Gen:17.v.14. In Hebræo est Verbum in
Hiphil פרה *irritum fecit*, habetq; cognationem cum priore
voce פרה.

Secundus Locus est Lucæ 7.v.30, in quo Evangelista te-
statur, Phariseos & Scribas per contemptum Johannei Ba-
ptismatis *rejecisse DEI βελήν* *adversus semetipsos.* Voce βελήν
nil aliud notatur, quam internum illud & gratiosum DEI
consilium de Phariseorum & Scribarum salute per ordina-
rium medium Johannei Baptismatis. Exinde hunc in mo-
dum argumentamur ex hoc & præcedente loco:

Qualis est DEI Voluntas erga impios & contemtores ratio-
ne salutis eorum; talis erit in genere erga omnes:

Atqui DEI Voluntas erga impios & contemtores ratione
salutis eorum conjuncta est cum benigno salutis consilio.

Ergo talis erit in genere erga omnes.

Legitimam in Propositione consecutionem nemo sa-
nus negaturus est. DEI namq; consilium circa curam & sa-
lutem hominum uno eodemq; modo se habet, ratione ante-
cedentis suæ Voluntatis. Syrus pro voce βελήν posuit no-
men רצון *Voluntas, beneplacitum à רצו voluit, complacuit:*
Quo ipso significare voluit Metaphrastes DEI βελήν & Vo-
luntatem pro Synonymis habenda, & à se invicem mini-
mè divellenda. Verbum ἠθέτησεν (ab ἠθέτω loco moveo, ab-
rogo, irritum facio, Hinc ἠθεσία opus, quo ea, quæ rata facta
fuerunt, irrita fiunt) Syrus reddidit per verbum רשע quod
& calumniari & per calumniam aspernari & rejicere signi-
ficat.

erat. Ut ergo omnis populus & publicani Baptisma Johannis recipientes, DEUM justificaverunt vel glorificaverunt: ita Pharisei & Scribae hoc baptisma rejicientes, DEI consilium blasphemati sunt, & blasphemando vel calumniando abjecerunt, & adversus semetipsos irritum fecerunt.

Tertius Locus est Act. 20. v. 27. in quo Apostolus in valedictoria sua ad Ephesios concione testatur se Ephesios nil suppressisse, verum annunciaisse *πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ*. Magnificus plane locus, qui non modo nostrum propositum roborat, verum & licentiam, & profanam temeritatem calvæ Cohortis, circa fictionem absolutorum, eorumque absconditorum DEI Consiliorum circa negotium humanæ salutis, potenter frenat. Intelligit enim Apostolus per voces *βουλὴν τοῦ Θεοῦ* nil aliud, quam Evangelicam de Jesu Christo doctrinam, ex qua totum fluit Mysterium æternæ salvationis hominum. Apostolus enim in suo *δοξολογικῶ* Epistolæ ad Ephesios exordio, Evangelicam doctrinam Ephesios annunciatam & ab ipsis auditam nominat *βουλὴν τοῦ Θεοῦ* cap. I. v. II. & 13. Et cap. 3. v. 9. & seqq: mysterium Ephesios manifestatum consistere testatur in Jesu Christo. Idem probant loca ex aliis Epistolis: *Ei, qui potens est vos confirmare secundum Evangelium meum, secundum revelationem mysterii æternis temporibus taciti, &c.* Roman: 16. v. 25. *Nos predicamus Christum crucifixum*, I. Cor: I. v. 23. & cap. seqq. v. 2. fatetur, se nil aliud sciuisse, nisi *Iesum Christum eumque crucifixum*. Et v. 7. dicit, se cum reliquis Apostolis loqui sapientiam DEI in mysterio absconditam, quam præfiguravit Deus ante secula in nostram gloriam cap. 15. v. 1. scribit: se Corinthiis annunciaisse Evangelium. Videatur & locus ad Coloss: I. v. 5. & seqq: unde hunc in modum argumentamur:

Quicquid continetur in Evangelio, id omne ad gratuitum DEI consilium pertinet. Est enim Evangelium nil aliud nisi manifestatio omnium divinatorum Consiliorum de salute hominum.

Vobis.

*Voluntas DEI antecedens vel Universalis continetur in Eu-
angelio.*

Ergo ad Consilium DEI pertinebit.

Retunditur præterea profana Calvinianorum libido
in fictione absconditorum DEI Consiliorum. Nam :

*Si Deus omne Consilium nostræ salutis ab aeterno decretum
nobis per Euangelium manifestat, tunc frustra, quin imò & impiè
abscondita DEI Consilia hæc de re finguntur.*

Atqui verum prius.

Ergo & posterius.

Ita :

*Quicumq; DEI abscondita consilia in aeterno humana salu-
tis negotio fingunt, hi negant, Euangelium nobis omnia DEI con-
silia salutis nostræ manifestare.*

*Atqui Calviniani abscondita DEI consilia in aeterno hu-
mana salutis negotio fingunt.*

Ergo. Id quod expressè est contra Paulum.

Quartus Locus. Actor: 13. v. 46. inquit Paulus & Bar-
nabas ad Judæos : *Vobis oportebat primum loqui Verbum DEI,*
sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis eternâ vi-
tâ, ecce convertimur ad gentes. Necessitatem Evangelista his
in verbis notat, divinarum prophetiarum de Judæorum
prærogativâ & gentium aggregatione ad regnum Messiaë,
Propheticè verò prædictiones ex DEI ordinatione & confi-
lio, quinimò inspiratione & afflatu fluxerunt. Judæorum
ergo Verbum DEI à se repellentium prærogativa necessi-
tatem habuit ex divinis prædictionibus, & consequenter
divino Consilio. Hæc autem prærogativâ Deus Judæos per
se indignos tanto beneficio dignos facere voluit : verum
præfractâ suâ repulsione seipsum novo, eoq; speciali indi-
gnatis modo indignos tum judicarunt, tum reddiderunt
æternâ vitâ. Syrus habet verbum *ῥῆμα* quod est abscindere,
amputare, *ihm das ewige Leben abschneiden* / item decernere,
deter-

determinare, vel seipsum proprio iudicio condemnare, quod est τῶν ἀποκατακρίτων Apostolo teste Tit: 3. v. II. Firmus iterum locus, qui probat 1. Universalem DEI Voluntatem cum consilio conjunctam esse, 2. hoc consilium ab hominibus repelli, rejici & irritum fieri posse, uti & à contumacibus Judæis irritum factum est æterno eorum malo.

Quintus Locus. Hanc DEI βεβλήν probat & Petrus Actor: 2. v. 23, ubi dicit, Christum ὡρισμένη βεβλήν ἔπεποιήσθη ἵνα ἵνα in crucis mortem traditum. Refert Apostolus iniquum Judæorum factum circa Christi crucifixionem, tum ad DEI πρόνοιαν, tum βεβλήν. Ad illam, ratione præscientiæ per se. DEUM enim ab æterno non latuit crudelis Voluntas, & sceleratum Judæorum factum, quod liberè crucifixuri essent Dominum JESUM; Ad hanc (βεβλήν) ratione boni & salutaris finis, propter quem DEUS hoc iniquum Judæorum factum permisit. Hic autem finis fuit procuratio Redemptionis vel æternæ salutis totius generis humani. Unde sic argumentamur:

Quicquid predicatur de procuratione Redemptionis vel æternæ salutis totius generis humani per Christi mortem, id ipsum etiam predicari necesse est de Voluntate DEI antecedente. Hæc enim est illius causa.

De procuratione Redemptionis vel æternæ salutis totius generis humani per Christi mortem, predicatur DEI βεβλήν, Petre teste.

Ergò & de Voluntate DEI antecedente eadem vox predicanda erit.

v. Ratione divini propositi & Decreti.

I. Ephes: i. v. 9. & 10. *Notum fecit nobis mysterium Voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in ipso in dispensationem plenitudinis temporum, ut in Christo, tanquam in capite, recolligeret omnia, tam quæ in cælis, quàm quæ in terrâ sunt.* De hoc Apostolico loco paulò ante dictum & probatum,
E tum,



rum, Apostolum in illo Exordio non separatim de æterno tantum Electionis filiorum DEI ad æternam vitam actu tractare, verum *συμπεριλαμβανως* & alia inculcare beneficia, omnibus & singulis hominibus communia. Et sanè ubique Apostolus de æterno Electionis proposito agit, semper annectit ea, quæ toti humano generi sunt reparata. Electionis enim Decretum feliciter nec tractari nec considerari potest, nisi id generali & universali fundamento subternatur, quod DEUS ipse supposuit. Hoc autem fundamentum omnibus & singulis hominibus per lapsum corruptis, nemine excepto, divinitus est positum. In æterno itaq; Electionis decreto, non modò respiciendum est *ad terminum, ad quem*, vel actualem Credentium glorificationem, verum & *ad ipsum principium vel ortum*, qui ex antecedente DEI voluntate & Salutis mediis, toti humano generi divinitus destinatis fuit & efflorescit. Hinc ita concludimus.

Qualis est natura rivus, talis & natura fontis;

Atqui rivus æterna Electionis complectitur DEI εὐδοκίαν, βελήν, θέσιν.

Ergò & fons Antecedentis & Universalis DEI Voluntatis eadem complectitur, distincto tamen respectu, ut paulò post monebitur.

Porro: quicquid complectitur ἀνακεφαλαίωσιν τῶν πάντων per Christum factam, illud conjunctum est cum divina θεοθεσί.

Hanc propositionem Apostolus exsertis verbis ponit:

Voluntas DEI antecedens complectitur ἀνακεφαλαίωσιν τῶν πάντων.

Ergò conjuncta est cum divina θεοθεσί.

2. Hanc decretoriam DEI *θεοθεσί* & alia fundant Scripturæ loca, in quibus divinus, isq; universalis misericordie actus ejusmodi vocibus describitur, quæ divinam *θεοθεσί* simul inclusam habent: I. Rom. 3. v. 25: *DEUS θεοθεσί proposuit Iesum Christum ἱλαστήριον per fidem in sanguine ejus.* Verbum

bum *προήετο* manifestè DEI *βελιὸν ἢ προήεσιν* intendit. DE-
UM namq̄ filium suum *ἰλαστήριον* sinè deliberatione & con-
silio ab æterno proposuisse, si quis fingere vellet, is & de-
mente & de fide esset præcipitatus. At quibus proposuit
Christum *ἰλαστήριον*? omnibus omninò hominibus. Christus
enim est *ἰλασμός* non modò pro nostris, verùm & totius
mundi peccatis I. Joh: 2. v. 2. Ut enim DEus omnes sub pec-
catum sine discretionè conclusit (non *ἐνεργητικῶς*, sed *ἐλεγχτι-
κῶς*) ita omnium sinè discretionè in Christo misertus est,
Rom: II. v. 32.

2. Esaiæ 49. v. 6. inquit Dominus ad Messiam: *dedi te
vel posui te (70: τιθειάσε) in lumen gentium, ut sis salus mea
usq̄ ad extremum terræ.* Ubi Verbum ponendi certum iterum
Consilium & propositum complectitur, ex natura hujus di-
vini positus. 3. Lucæ 2. v. 31. & 32. inquit Simeon: *Domine
salutare tuum (MESSIAM) ἠτοιμάσας præparasti in conspectu o-
mnium populorum: Lumen ad revelationem gentium, & glori-
am plebis tue Israël.* Ubi PRÆPARANDI Verbum certum i-
terum & definitum DEI consilium & propositum manifestè
includit. Divinam namq̄ præparationem sine certa *βελιῇ* &
προήεσει fingere, mentis esset amentis.

3. *Ex natura antecedentis hujus Voluntatis.* Eâ non modò
fuit & est *ὑπεκλινῆ* ratione nudæ & solius Voluntatis & appe-
titus; verùm & *προβεβελευμένη* *Voluntas deliberata*, qua DEus
ab æterno totius humani generis lapsum prævidens, om-
nium & singulorum hominum æternam salutem, non
modò gratiosè voluit, verùm & cum beneplacito, delibera-
tione, consilio proposuit & decrevit, se certa media pro-
curaturum, per quæ homines ad fidem & salutem pervenire
possint. Media sunt 1. Universale & totale humanæ redem-
tionis opus per mortem unigeniti sui Filii. 2. Universalis
Vocatio. DEus enim ab æterno ex beneplacito & consilio
sibi proposuit, se non tantùm velle in temporis plenitudine

mittere filium in mundum; verum & partam Redemptionis gratiam omnibus offerre & manifestare per Verbum. 3. Universalis affectus & propensio donationis & collationis fidei, per Evangelii prædicationem in certo tamen ordine & respectu. Hinc Syllogismus:

Voluntas ἀρεβέβλευμένη cum Voluntatis ἀετι conjunctam semper habet εὐδοκίαν. Βαλλὼν ἢ ἀρέθειν.

Hanc propositionem nemo saniorum Philosophorum negaturus est.

Antecedens DEI Voluntas, est voluntas ἀρεβέβλευμένη.

Ergò.

4. Ex ἀρεθείᾳ Angelici & humani lapsus. *ἀρεθεικὴν miserendi Voluntas conjunctam semper βαλλὼν ἢ ἀρέθειν habet.*

Antecedens DEI Voluntas est ἀρεθεικὴν (non quidem ratione hominum inter se, sed hominum & Diabolorum)

Ergò conjunctam habet DEI βαλλὼν ἢ ἀρέθειν.

Propositionem ipsa sanior Philosophia firmat. Omnis enim discretio voluntaria cum certo Consilio, judicio & proposito suscipitur. Assumptum suam habet firmitatem ex Scripturâ, quæ testatur, DEUM lapsum tum Angelorum tum hominum ab æterno videntem, hanc βαλευτικὴν ἀρεθειν fecisse, ut lapsos Angelos in æternâ miseriâ justè relinquere; hominum contra corruptorum sinè discretionè gratisè misereri sibi proposuerit.

5. Ex consueto, eorū orthodoxo horum vocabulorum usu.

Orthodoxa namq; Ecclesia ita semper locuta est: Universale Redemptionis humani generis opus in æterno DEI consilio, proposito, decreto, primam originem habuisse. Et in materna linguâ hoc orthodoxo locutionis genere utimur: Das ihm Gott von Ewigkeit aus gnädigem willen vnd wolgesellen fürgesetzt habe/ sich des ganzen gefallen Menschenlichen Geschlechtes zu erbarmen/vnd demselben seinen Sohn in der fülle der Zeit zu einem Erlöser zu senden.

VLEX



VI. Ex hisce, quæ proposita sunt, non obscure differen-
 tia elicitur vocum, quarum in Aphorismo, & Aphorismi re-
 solutione mentio facta est. 1. Vox Voluntatis ἀπλῶς notat
 ipsum volendi actum. 2. Nomen ἰουδοκίας, vel beneplaciti, di-
 vinam Voluntatem ab adjuncto describit, æternum illum
 miserendi & volendi actum in DEI corde altas radices ha-
 buisse, cumq; interno beneplacito jam ante jacta Mundi
 fundamenta, conjunctum fuisse. 3. Vox βελῆς est ἀνεπιληκῆς
 & innuit divinam miserendi voluntatem non fuisse nudè
 ὀρεκτικῶν, verùm & προβεβουλευμένω, suâ προαιρέσει καὶ βελῆ con-
 stantem, certumq; salutis ordinem & media complecten-
 tem. 4. Vox προθέσεως quoad universalem DEI voluntatem
 notat tum deliberatam illorum mediolorum approbationem,
 tum actualem mediolorum procurationem. 5. Decreti Vox
 cum priore admodum cognata (hinc sæpè pro Synonymis
 habentur) ultimum complectitur Voluntatis istius προβεβου-
 λευμένης actum. Quicquid enim ab æterno certo consilio
 DEUS sibi proposuit; id ab æterno in effectum deducere
 decrevit.

VII. Accuratè verò notandum, divinam πρόθεσιν, ut &
 decretum duplici respectu terminari: altero ex parte DEI,
 altero ex parte hominum. Illo respectu universalis & in-
 discreta est DEI πρόθεσις, ut & decretum, habetq; pro ob-
 jecto omnes & singulos homines, uno eodemq; modo, ut
 peccatores consideratos. Complectitur enim tum finem,
 salutem; tum actualem omnium mediolorum salutis ex DEI
 parte βουλευτικὴν ordinationem, constitutionem & procura-
 tionem, oblationem, ut & conferendi affectum & propen-
 sionem. Hoc verò respectu divina πρόθεσις & decretum tum
 finem, salutem, tum finis vel salutis media considerat ra-
 tione usurpationis ab hominibus. Ideo divina πρόθεσις ἀνά-
 κεισιν admittit, ratione objecti diversimodè se habentis, id
 quod testantur Parabolæ Matth: 22. Lucæ 14. Et Scriptura



passim. Quidam enim ad Euangelium quidem vocantur
sed non obtemperant, & hi dicuntur κελημένοι Matth: 22. v.
3. Luc: 14. v. 17. quales erant Pharisei, qui aspernabantur
DEI consilium adversus semetipsos Lucæ 7. v. 30. Item Ju-
dæi, qui prædicatum DEI Verbum rejiciebant, seque indi-
gnos judicabant æternâ vitâ, Actor: 13. v. 46. Hic vocationis
eventus non est κατὰ sed παρὰ πρόθεσιν Θεῶ. Salutari quidem
proposito DEUS omnes vocat, ut veniant, & æternum salvi-
fiant: Qui verò divinæ vocationi non obtemperant, sed
eandem contumaciter aspernantur, illi divinum proposi-
tum irritum faciunt, vocationemque κατὰ πρόθεσιν, ex DEI
parte, factam evacuant, id est παρὰ πρόθεσιν Θεῶ, non DEI, sed
suâ ipsorum culpâ. Alii divinam vocationem per Euange-
lii prædicationem factam complectuntur, inque Regis nu-
ptiis comparent, & hi dicuntur κλητοί Matth: 20. v. 26. c. 22.
v. 14. Item ἀνακείμενοι convivæ v. 10. Horum κλητῶν vel ἀνα-
κειμένων magna & varia iterum est differentia, de qua alibi.
Hinc fit, ut in plurimis Evangelicam prædicationem am-
plexantibus, verum vel simulatè Matth: 22. v. 11. non seriò,
vel seriò, sed προσκαιρως Luc: 8. v. 13. vel ob alia innumera im-
pedimenta divinæ vocationis πρόθεσις exoptatum finem
non assequatur. Siquidem ea hoc speciali respectu confide-
rato, non modò ad actum vocationis, nec tantùm ad initi-
um apprehensionis ejusdem, sed ad complementum etiam
& finalem perseverantiam refertur. Qui verò vocati per
Spiritus S. gratiam renati & sanctificati divinis exhorta-
tionibus morem gerunt, & vitando peccata contra con-
scientiam Spiritum S. in se habitantem non contristant E-
phes: 4. v. 30, vel excutiunt, nec patiuntur se à bono proposi-
to ullâ ratione dimoveri, sed ad finem usque perseverantes
æternâ gloriâ coronantur, dicuntur κλητοί κατὰ πρόθεσιν Θεῶ
Rom: 8. v. 28. κατὰ ἰδίαν πρόθεσιν ἢ χάριτι 2. Tim: 1. v. 9. προσελθόν-
τες κατὰ πρόθεσιν Ephes: 1. v. 11. quia finem τῆ πρόθεσις æternæ
Voca.

vocationis inclusum gratiosè assequuntur. Alibi nominantur κλητοὶ Vocati I. Cor. I. v. 24. κατ' ἐξοχὴν ἢ ἐιδικῶς, item ἐκλεκτοὶ κατὰ τὴν εὐδοκίαν τῆς θελήσεως αὐτῆς Eph: I. v. 5. Hæc ergo specialis κλήσις κατὰ πρόθεσιν θεῶν Paris est latitudinis cum actu gratiosæ Electionis. Qui namq̄ hoc speciali modo vocantur sunt electi, & contra: Electi sunt vocati κατὰ πρόθεσιν θεῶν. Hujus assertionis fundamentum habemus in Apostolo Paulo I. Cor. I. v. 26. & 27. *Videte vestram vocationem, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed stulta mundi elegit Deus, ut sapientes confunderet, &c.* Vide ibidem & reliqua verba. De his speciali respectu vocatis inquit Augustinus lib. I. Retractionum cap 23: *Non omnium, qui vocantur, talis est vocatio, sed tantum Electorum.*

VIII. Unde consequitur, voces *Consilii, Propositi, decreti,* & voluntati antecedenti & consequenti orthodoxè applicari eo, quo dictum est respectu. Sanè Scriptura distinctis locutionibus hunc distinctum respectum non obscure subinnuit Colof: I. v. 19. εὐδοκίας vox universali redemptionis operi applicatur, & ita ad omnes & singulos homines refertur. Alibi specialiter ad Electos Ephes: I. v. 5. Utrobique in Evangelico significato: Matth: II. v. 26. legalem vel judiciariam habet notationem. Ita Prov: I. v. 25. Luc: 7. v. 20. Vox βελῆς etiam ad impios refertur, in quibus divina βελῆ salutarem suum finem non assequitur. Alibi ad Electos tantum Ephes: I. v. II. κατὰ τὴν βελῆν θελήσεως θεῶν: Ita divina πρόθεσις & decretum partim refertur ad universalem DEI voluntatem Ephes: I. v. 9, 10. Rom: 3. v. 25, partim ad consequentem Rom: 8. v. 28. 2. Tim: I. v. 9. Ephes: I. v. II. Ubi notanda venit in postremo loco particula καὶ, qua utrinque in Christo Apostolus connectit, & generalem ἀνακεφαλαιώσιν τῶν πάντων & specialem τῶν προνομωθέντων κλήρωσιν. Utrumq̄ actum Apostolus divinæ tribuit προθέσεως. Huc referenda sunt verba D. Stephani Gerla-

Gerlachii p. m. planè notabilia, qui hunc Apostoli locum hoc modo illustrat: Hinc patet propositum DEI de salvandis hominibus duplex esse Universale & Particulare. Universale est, quo DEUS ab æterno in se ipso statuit & proposuit totum genus humanum in Adamo perituum in Christo recolligere seu instaurare sibi ipsi reconciliare, & per media à se ordinata salvare. particulare est quo DEO placuit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, I. Cor: I. v. 2.

IX. Magnum hic Aphorismus usum habet I. nam quod desiderios omninò necessarium est, ut in naturam antecedentis DEI Voluntatis anxie præviâ Scripturâ inquiramus. *Scrutimini Scripturas*, inquit Servator noster Joh: 5. v. 39. *ὅτι γὰρ προσεγγέθη εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προσεγγέθη* Rom: 15. v. 4. *Et omnis Scriptura Deo proventus utilis est ad doctrinam*, &c. 2. Tim: 3, 16.

2. In Elencho vel *Avθ. θεῶν* varia Calvinianorum & veterum & recentium sophismata, hujus Aphorismi beneficio refutari possunt. I. divinam *πρόθεσιν*, de qua Paulus Rom: 8, v. 28. ad solos Electos ita restringunt, ut dicant, DEUM quidem multos non Electos vocare, verùm *παρὰ πρόθεσιν θεῶν* præter intentionem, consilium & propositum DEI, quia nunquam proposuerit aut decreverit, multò minus promiserit, id eis conferre, quod obtulit. 2. Ex hoc errore resultat alter. Distingvunt enim divinam Voluntatem in mandati, oblationis, approbationis, & in Voluntatem collationis vel efficacis. Illam nominant externam Voluntatem signi in Verbo patefactam: hanc vocant internam Voluntatem beneplaciti, propositi & decreti. 3. Hos distinctos divinæ Voluntatis respectus impiè hunc in modum divciunt, ut dicant: DEUM velle voluntate mandati & oblationis omnes eos salvos fieri, quos vocat verùm voluntate æternâ beneplaciti & decreti Electos tantùm velle salvos facere.

facere, reliquos non item. DEUM namq; sibi proposuisse, quin imò ex absoluto beneplacito æternum decrevisse reprobos æterno iudicio mancipare. 4. Huic Errori succedit quartus: Externam enim signi Voluntatem nominant patefactam inq; Verbo manifestatam: Internam beneplaciti vocant occultam & absconditam. 5. Ex his omnibus duplicem eliciunt Vocationem hominum ad salutis media, ex DEI intentione & decreto unam, externam signi & oblationis per externum Verbum ministerii: alteram internam beneplaciti. Illam nominant *inefficacem*, hanc *efficacem*: priori modo multos, imò plurimos externo Verbi ministerio vocari, sed tantum *aliquo modo*, ut Ursinus scribit in Catechesi p. 402. Posteriori modo eos tantum vocari, quos DEUS absoluto suo Decreto ab æterno elegit.

x. Hæc sophismata partim impia, partim blasphema ad unum omnia præsentis Aphorismi beneficio solidè refutari possunt. I. Impium & blasphemum est in DEUM ex *divinâ intentione* fingere talem DEI vocantis nos *πρόθεσιν*, quæ paucos tantum, eosq; Electos per Evangelii verbum velit converti & salvari, reliquis absoluto quodam odio reprobatis. Omnes enim, quos DEUS vocat, & ordinariè & ordinatè, eos *προηγμενως* vocat cum salutari salutaris *προθέσεως* affectu. Ut enim universalis Redemptionis opus conjunctum est cum divinâ *προθέσει*, ita & universalis vocatio, quanquam pro objecti diversitate secundum Voluntatem DEI consequentem dispari effectu & eventu. Quod verò Apostolus Rom: 8, v. 28. divinam *προθεσιν* ad Electos in specie restringit, illud non fit per modum exclusionis, verum ἀπερίσεως, & distincti divinæ *προθέσεως* respectus, de quo in membro septimo *ἀναλύσεως*. Sophistica ergò est Adversariorum collectio:

Si tantum Electi, vocantur κατὰ πρόθεσιν Θεῶν, utiq; reliqui ex divinâ intentione non vocantur κατὰ πρόθεσιν Θεῶν.

F

Alqui

Atqui tantum Electi vocantur ἡγῆναι πρόθεσιν Θεῶν.

Ergo, &c.

R. I. Ad Majorem, cum laborare sophistico ἐγβολῆς ἢ ἀ-
λέγχεσ morbo. In subordinatis enim distinctum respectum
admittentibus, sophisticè progreditur ab unius positione
ad alterius exclusionem, cum ambo simul (quanquam in
distincto respectu) stare possint.

2. Ad Minorem. Idè dupliciter 1. *per Negationem*:
Negamus Apostolum id affirmare tantum Electos vocari
ἡγῆναι πρόθεσιν Θεῶν, 2. *per distinctionem* distincti respectus di-
vine πρόθεσεως, prout vel terminat internum DEI affectum,
vel in hominibus effectum & eventum. Illo respectu omnes
vocantur cum divino πρόθεσεως affectu: Hoc specialiter Ele-
cti, ex Apostolicâ asseveratione, qui posteriorem hunc re-
spectum ibidem loci attendit. Quod verò salutaris divinæ
πρόθεσεως affectus in omnibus Vocatis salutarem finem non
assequitur, causa non est absolutum aliquod DEI odium,
vel absoluta reprobatio, sed unica hujus impedimenti cau-
sa in homine quaerenda est. Qua de re alibi.

2. Impiè distinguitur divina Voluntas circa unum, i-
demq; objectum ad salutem perducendum, in voluntatem
externam signi, & internam beneplaciti, propositi, vel de-
creti. Probavimus enim Evangelicam DEI de salute homi-
num voluntatem, in Verbo patefactam, simul & internam
esse divini beneplaciti voluntatem. Consuetam quidem est
apud Scholasticos distinctio divinæ Voluntatis in signi &
beneplaciti. Hanc sumunt pro internâ dispositione, & be-
neplacito DEI, & ita pro Voluntate propriè dicta: Illam,
pro externo signo internæ voluntatis, continente, vel præ-
ceptum, vel prohibitionem, vel consilium, vel permissio-
nem, vel operationem. Et ita distinctio hæc ex Scholastico-
rum usu re una est eademq; circa objectum, modò tantum
differens, ut internum, & externa interni signatura. Ve-

RUM



rum namq; voluntatis signum, internum voluntatis natu-
ram signare & exprimere debet. Sin hoc non facit, nomen
& naturam signi sustinere nullo modo potest. Ita quoq; Or-
thodoxi diversimodè hâc distinctione utuntur de diversis
DEI actibus circa diversa objecta. Calviniani verò longè
aliâ & intentione & significatione hac distinctione pessimè
abutuntur, & ad unum eundemq; salutis actum, unum præ-
terea, idemq; objectum applicant, hoc sensu. DEum volun-
tate signi omnes & *reprobos* salvos fieri velle; Voluntate
verò beneplaciti, vel decreti non omnes velle salvos fieri,
sed tantum *Electos*. Quo pessimo Scholasticæ distinctionis
abusu contrariæ Voluntatis DEO affinguntur, quod infra
in peculiari Aphorismo demonstrabitur. Potest quidem in
alio Scripturæ analogo sensu hæc distinctio usurpari, verùm
propter Adversariorum sophistications, omnium esse tu-
tissimum, aliis terminis circa distinctos divinæ Voluntatis
respectus notandos uti.

3. Impiè asseritur, DEum non velle omnes, quos vocat,
salvos fieri internâ beneplaciti voluntate. Contrarium in
analyfi ex Scriptura probatum est.

3. Impia est asseveratio, internam beneplaciti, de salu-
te hominum voluntatem, nominare occultam & abscondi-
tam eo sensu, quo Calviniani volunt, cum DEus omne no-
stræ salutis consilium nobis manifestarit.

5. Vana & profana est distinctio divinæ Vocationis, in
efficacem & in *inefficacem*, idq; ex divinâ intentione & pro-
posito, quâ de re in sequenti Aphorismo accuratius.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines across the page.



Umg. I C 36




ULB Halle 3
007 377 940



VD 77






B
Dis
M

Univ





A. D.
DISQVISITIO SECUNDA.
DE DIFFERENTIA
EUANGELICARUM PRO-
MISSIONUM.

Continens illustrationem Or-
thodoxiae, distinctum scilicet divinae
eiusq; Evangelicae voluntatis circa fidem & sa-
lutem hominum respectum in aliquot
Aphorismis.

AD SALVAREM INFORMATIO-
nem & divinae veritatis confirmationem proposita
publicaq; ventilationi subiecta

A
JOHANNE BEHM, S.S. Theol. D.
Aulico Illustriss: Boruss: Ducum Con-
cionatore, & Academiae quae Regiomonti Borus-
forum est Professore P.

RESPONDENTE
STEPHANO CIMDARSO, Schif-
fenburgensi Borusso.

Habebitur in Auditorio majori 18. Novemb:



REGIOMONTI, Typis Osterbergerianis, Anno 1622.